

**www.e-rara.ch**

**Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...**

**Humel, Johann Henrich**

**Tiguri, 1670**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo CXC.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

stantur quanti preces faciant, cum eas semper negligant. Vos non consideratis mandatum Dei, nec ipsius promissiones, nec exempla sanctorum, qui tanta bona precibus obtinuerunt. Servi Naamanis culpârunt dominum, quod facilem viam sui à lepra purgandi inire gravatus fuit, 2. Reg. 5:13. Sic nos jure reprehendimus omnes, qui jucundam hanc viam, quâ quasvis benedictiones acquirere possent, aspernantur; si quid majus à nobis Deus requireret, annon ad id præstandum essemus obligati? quanto ergo porius, ubi nihil postulat nisi, *orate & dabitur vobis*, Matth. 7. Non opus est ut ascendamus in cælum, Rom. 10. prælo est medium, Oratio: erige manus, & arripe thesauros Dei, &c.

Argumenta  
movenia ad  
studium  
precum.

Argumenta, quæ nos ad exercitium precum permovere atque incitare possunt, jam ex parte suprâ sunt enarrata:

1. Deus sic jussit, cui David respondet, *quæram faciem tuam*, Psal. 27:8.

2. Est præcipua pars cultûs Dei, imò totus cultus venit sub nomine invocationis Dei, Es. 56:7. 2. Tim. 2:19. 1. Cor. 1:2. Act. 9:14.

3. Deus iis maximè honoratur, ut omnipotens, omnipræfens, misericors & verus Deus.

4. Christus etiam inter alia eapropter mortuus est, ut per ipsum haberemus aditum ad Deum, & ecquis negligeret hoc privilegium?

5. Considerate exempla sanctorum, imprimis Davidis, Danielis, qui mavult mori & leoninâ sævitiâ tractari, quàm negligere preces, & tu negligeres triviali quavis de causa?

6. Nihil æquius, quàm ut Deum invoceamus pro omni bono, & si dedit, ipsi gratias agamus.

7. Considerate utilitates suprâ adductas: est precatio clavis, quâ Dei thesauros recludimus, imò cælum ipsum, Joh. 16:23. Precibus judicia Dei avertimus, corporalia & spiritualia; imò prævenimus, Jer. 26:19. 1. Reg. 8:33. Benedictiones corporales & spirituales impetramus, imprimis remissionem peccatorum, sanctificationem omnium adversitatum, &c.

8. Nihil oratione fortius ac efficacius, prout suprâ pluribus ostensum; Daniel precibus fauces leonum obstruxit, Dan. 6:22. David precibus Ahitophelis sapientiam in stultitiam convertit, 2. Sam. 15:17, 33. Jacob per preces Esavi furorem sedavit, Gen. 32:11. & 33:4. Esther & Mardochai precando Hamanis sævitiâ averterunt, Esth. 4:16. Hiskias precibus exercitum Sanheribis fudit, 2. Reg. 19:15. Moses & Aharon quid non precibus effecerunt? Exod. 7:11. Elias oratione cælum occlusit, iterumque reclusit, 1. Reg. 18. Jac. 5:17. & Elisa, 2. Reg. 6:17. Ipsi Diaboli precibus cedere coguntur, Matth. 17:23.

9. Preces afferunt consolationem & pacem in extremo periculo, Joh. 16:24. *Orate, & sic gaudium explebitur; si quis contristatur, oret* Jac. 5:23, Phil. 4:6.

10. Securitas nostra cōsistit in precibus; Deus enim protector est omnium, qui ipsum invocant; hinc preces numerantur inter arma spiritualia, Eph. 6. & quidem ultimo loco, ut indicetur, omnia esse frustranea sine precibus, Matth. 26:41.

11. Summa est dignitas, ita cum Deo colloqui per preces, & ad ipsum appropinquare; quis ergo intermitteret?

12. Nil magis necessarium est hoc officio, tum quoad hominem internum, tum quoad externum, Jac. 4:3. *Nihil impetratis, quia malè oratis*, &c. Hæ & aliæ causæ nos ad frequentes preces movere & excitare deberent.

Quàm jucundum hoc & solatii plenissimum fidelibus in omni conditione, quòd certi, de hisce beneficiis Deum confidenter invocare possunt, ejusdemque implorare opem in omni miseria! Si fides nostra languescit, ipse ad preces nostras eam corroborabit: cum ignari sumus, vult erudire; si egemus donis spiritûs, ad preces nostras ea dabit; si refrigescit amor, vult fovere; si pœnitentia imperfecta, eam reintegrabit. E contrario, si judicia sua parat, removebit; si hæremus in angustia & periculo, nos eripiet: si peccata onerant, justificabit, &c. Uno verbo, quidquid nos angit, id per preces ei aperimus, & opem feret opportuno tempore.

At cum omnia à Deo quæ petimus, impetravimus, tum nostri officii ne immemores simus, sed ipsi gratias agamus pro gratuita exauditione, 2. Cor. 1:9, 10, 11. Apostolus non solum adscribit precibus liberationem, sed urget gratiarum actionem, si Deus preces exaudiat.

Et sic absolvimus Doctrinam de efficacia precum.

Occurrunt hic solvendi nonnulli *Casus conscientia*, qui in exercitio precum observantur.

## SERMO CXC.

*Textus* Prov. IV. v. 23.

מכל משמר נצר לכך כי ממנו תוצאות חיים

*Supra omnem observationem Cor tuum custodi: nam ex eo prodeunt actiones vite.*

**P**rimum & maximum mandatum est, *Dilige Deum tuum ex toto corde*, &c. Deut. 6. Matth. 22. Hoc dilectionis mandatum valuit ante peccatum jam in Paradiso, valebit quoque in cælo, 1. Cor. 13. vers. ult. & hoc mandatum plus quàm mediâ pars officii nostri est in terris. Non præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpam nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum: Ille tener & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tener in moribus. Ideo Deus tum in veteri Testamento, tum in Novo Christus, hoc mandatum cum

Ecc 3

suis

Urus W

Urus II.

Exordium.

fuis circumstantiis proponit, *Quis scilicet Quem, & Quomodo* debeat diligere? &c. Et insuper hoc argumento urget, quia *maximum & primum mandatum*: Dilectio jam non amplius est opus naturæ, sed gratiæ: 1. Joh. 4:7. à Deo est, *ἡ ἀγάπη ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστίν*, Gal. 5: 22. fructus spiritus, Rom. 5: 5. Deus per Spiritum eam effundit, &c. Prout autem mandatum habemus diligendi, sic & ibidem orandi mandatum habemus, Deut. 6: 13. Exod. 34: 14. id quod etiam Christus inculcat Matth. 4: 10. *Deum tuum adorabis*, &c. qui Deum amat, is Deum etiam invocat.

De hoc tam necessario mandato & officio orandi hactenus fufius tractavimus; superfluit casus aliquot conscientiæ, qui oranti incidere & exercitium precum turbare possent, ad quos proinde paucis respondebimus.

CASUS I.  
An Oratio cum vagis conjuncta cogitationibus à Deo exaudiat.

Divisio Textus.

Casus 1. est; *Quid sentiendum de precibus, quæ funduntur non sine extravagatione cogitationum cordis; an Deus tales omninò rejiciat, si nobis precantibus semper aliena cogitationes incidant?* Ad hunc respondebimus ex textu, in quo occurrit

1. Hortatio de sedulo custodiendo corde in sacris nostris actionibus: Ubi

a. Quid agendum? Debemus custodire, scilicet prout custodimus, quæ amamus; item quæ periculo objecta sunt; item quæ nobis possunt abripi; talis est vis vocabuli Hebræi. Hic insinuatur custodia quadruplex.

1. Personalis: Quilibet, quisquis sit debet custodire.

2. Perpetua custodia: custodiendo custodire debemus:

3. Universalis, מכל משמר cum omni custodia.

4. Principalis, præ omni custodia, seu ante omnia, præ cæteris omnibus custodi, id est, diligenter.

b. Quid sic custodiendum? Cor, sedes affectuum, &c.

2. Ratio subjungitur, quia ex eo prodeunt actiones vitæ, nam a. Cor est fons vitæ naturalis, ideo primò vivens, & ultimò moriens. b. Cor est fons vitæ moraliter; si cor pius est, etiam homo talis erit. c. Cor est fons vitæ spiritualis; si cor fidele & justum, vita subsequitur spiritualis & æterna.

Δ. Hinc colligitur; *In omnibus piis actionibus ante omnia cor ita esse custodiendum, ne abripiatur vagis cogitationibus, id est, imprimis in precibus nostris, ne sint mortuæ & rejectæ, &c.* Sic habebimus ansam respondendi ad Casum conscientiæ propositum, ad quem dum respondemus, simul hanc Doctrinam inculcabitur & breviter enodabimus.

Notandum ergo & probè distinguendum, unde vagæ ejusmodi cogitationes originem suam ducant, & pro diversa origine, diversimodè respondeamus; procedunt enim illæ,

- Vel ex { 1. Infirmirate nostra;  
2. Tentationibus & suggestionibus Satanae;  
3. Affectata negligentia nostra.

Quoad 1. Si ex infirmitate tales incidunt vagæ cogitationes, verum nobis displicent, contra eas nitimur, eas ægre ferimus, &c. tum ejusmodi cogitationes furtim incidentes vim & efficaciam precum non impediunt, Deus tales preces non penitus rejiciet. Hoc in casu etiam optimis usu venit quod viatoribus, qui firmiter in itinere constituerunt pergere, usquedum urbem, quam petunt, attigerint; semper pergunt, licet quandoque aliæ cogitationes euntibus incidant, imò sæpe cadunt in itinere, sed iterum surgunt à lapsu; & licet unum alterumve membrum ægrè pergar, tamen voluntas pergendi adest; sic nobis contingit ex imbecillitate naturæ, & hoc Deus novit, nos naturà imbecilles esse, Pf. 103: 14. Si inter servos robustos imbecillum habes, qui quidem fideliter munera exequi studet, at desunt vires majores, non ideo servitia ejus aspernaris, quia nōsti eum infirmum, nec vires plures habere. Sic Deus, qui novit quàm imbecilles simus, patiens est erga nos, modò corde parato & prompto agamus; licet non planè perfecta, modò præparata sint corda, ut vasa, sanctuarii, &c. sic 2. Chron. 30: 18, 19. quod etiam valet de precibus.

1. Deus nobiscum agit, ut Pater cum filio ipsi serviente, Mal. 3: 17. Pf. 103: 13. et si sæpe desint vires, tamen pater acceptat promptam filii voluntatem, & desideria, Hebr. 13: 18. 2. Cor. 8: 12.

2. Precantes sunt in fœdere; at non quodvis peccatum ex infirmitate rumpit fœdus, &c. Psal. 130: 3, 4.

Infirmities autem sunt variæ; aliæ procedunt ex juventute, aliæ ex contrarietate carnis, Rom. 7: 19. *Quod volo, nolo*, juxta illud: *Quod volo non possum, quod possum nolo vicissim.*

Tota hominis vita est, nil nisi, nolo, volo, August. ipse l. 2. de bono perseverantiæ, cap. 21. sic Non egomet ipse meipsum in omnibus sum sequurus. Aliæ ex morbis, & aliæ aliunde. Si ex his & similibus causis cogitationes oriuntur, &c. Deus non imputabit.

His ergo vexatus ne despera, nec thronum gratiæ desere, sed precibus eò magis insta contra ejusmodi cogitationes; prout multi sic orârunt, Jobus, Asa, Josaphat, Hiskia, alii, quorum ellychnium fumigans non fuit extinctum in mediis tentationum tempestatibus. Nobis quippe res est cum eo, qui Pater est; qui nobiscum iniit fœdus gratiæ; nec rigidè agit nobiscum, Psal. 130.

Interim maneat, cor supra omnem observationem esse custodiendum; ne ex peccatis & cogitationibus malitiosis faciamus vel prætexamus infirmitates, talesque extenuantes nobis ipsis imponamus. Probè ergo notandum discrimen

Aliæ oriuntur ex nostra imbecillitate; non tollunt efficaciam precum.

Rationes.

U. s. I.

U. s. II.

Δ. Invigilandum est cordi, ne vagis distrahat cogitationibus inter orandum.

Explicatur origo vagarum cogitationum.

serimen inter peccata infirmitatis & malitiæ, ut persuasus sis ea certò ex infirmitate esse orta, &c.

Alia ex  
suggestionibus Dia-  
boliceis: ne-  
que hæc, &c.

Quod ad 2. Si ejusmodi vagæ cogitationes proveniant ex suggestionibus Satanæ, similes sunt avibus illis sacrificium Abrahami attentantibus, Gen. 15. v. 11. Has autem Diabolus 1. suggerit & cordi injicit; 2. satagit, ut cor eas concipiat; 3. ut consentiat; 4. ut easdem approbet; 5. in actum educati; 6. in consuetudinem vertat, &c.

Quæritur autem circa has suggestiones,

I. An Diabolo talis ad nos pateat aditus, præsertim circa sanctas ejusmodi occupationes? Resp. Quòd ita; etenim sic aggressus est hominem in Paradiso adhucdum innocentem; Christum in deserto, Matth. 4. Filios Dei, Job. 1. Davidem, Jobum, Paulum, aliosque, &c.

II. Quomodo ejusmodi cogitationes possit seminare in cor, cum non sit καρδιουργος? Resp. 1. Novit communem corruptionem generis humani; 2. Novit item sapientiam carnalem; 3. Tandem conscientia contaminationem, &c.

III. Unde possimus cognoscere, an diabolicæ sint cogitationes; an ex propria corruptione natæ. Discriminato harum cogitationum non aded facilis, quia sunt quasi connaturales; adhæc impressiones suggestionum Satanicarum fiunt mediantibus corruptis nostris cupiditatibus, est quædam confusa mixtura inter illas. Homo equidem sentit in se effecta suggestionum Satanicarum: sed quia ipsa natura corrupta habet inclinationem ad eas, non facile dignoscere potest an sint Diabolicæ, an verò corruptæ naturæ seu infidelitatis annatæ: utrarumque sanè eadem est scaturigo, tendunt & illæ, & hæc eò ut homo seducatur, & decipiatur, Diabolus & corrupta natura, seu caro cum mundo eundem habent finem, sed semper pessimum, ut fallant & decipiant: conjunctis viribus impellunt hominem ad aliquod illicitum, ad scelus & impietatem aliquam exequendam: sive ad perpetrandum aliquid adversus legem Dei & salutem animæ. Caro judicium rationis impedit & pervertit. Mundus affectus hominis implicatos tenet: Diabolus pertrahit ad peccandum, &c. vid. Aug. in lib. de salutaribus documentis cap. 64, 65. Caro est, quæ animam perdit, caro quæ Diabolum recipit: ipsa præceps ad libidinem, improba ad perulantiam, frequens ad luxuriam, inve-recunda ad fornicationem; ipsa quotidie crimen crimini superponit, & peccata peccatis, malis mala, & pessimis deteriora conjungens: voluntas est crudelis, vana, insipiens, semper ad malum prona, ad bonum excusabilis & pigerima, velox ad mortem, ad vitam difficilis, cui exosa sunt opera lucis, & tenebrarum amantissima; quia cadere diligit, surgere negligit.

Amara est illi salus, & dulcis perditio, inquieti est & impatiens, flammis gehennæ ani-

mam circumdans, injiciens se inter germina cupiditatis & avaritiæ, vanitatis & arrogantia, cæterarumque nequitiarum. Et quid plura? Sicut tinea lanam devorat, & ignis fœnum ac stipulam consumit: ita caro rebellis & delicata animam consumit & concremat. Hæc Augustinus de carne.

Et prout caro est officina nequitia & diversorum flagitiorum Satanæ: sic sanè mundus immundus, qui in illo improbo totus jacet, 1. Joh. 5: 19. est ipsius officina non solum, sed machina.

Summa est: Quòd Diabolus nunquam militet solus, sed ut de Goliatho scriptum legimus, 1. Sam. 17: quòd Armiger ejus antecederat eum, ita & multos armigeros habet, quos præmittit Satan: armiger ejus mundus est, armigera caro, armigeri pravi homines, quorum vixit opera, offert oculis formas illices, ut visu destruat castitatem; aures tenet oblectamenti vocum, ut sonus dulcior auditum tolvat, & molliat Christiani rigorem; linguam ad convitium provocat, manus (injuriis laceffantibus) ad perulantiam cædis instigat, ut fraudatorem faciat, lucra apponit injusta, ut animam pecuniâ capiat: ingerit perniciofa compendia, honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostendit falsa, ut vera furripiat; sic appositè Cypr. ferm. 2, de zelo & livore.

Quocirca cum ita se res habeat, cum cogitationes pravæ, quas concupiscentia seu natura corrupta suggerit, mundus suadet, Diabolus excitat & in voluntate perficit, tam subdolè & artificiosè sint intertextæ, hinc diximus, discriminationem, & dijudicationem esse arduam & difficilem: dantur enim quædam γυψισμαδα, quorum auxilio aliquatenus discrimen inter utrasque cogitationes videre possumus. Saltem probabile,

a. Quòd sint quædam cogitationes malæ solius Diaboli, utriusque Adami exemplo erudimur, & primi, & secundi; hujus in deserto, ejus in Paradiso.

In utrumque Diabolus involavit, carnis moribus, nec illi prius cognitis, nec huic ulla tenus, aut unquam cognoscendis, quod piè est ab August. observatum de Civ. D. I. 14. c. 3. Non omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda esse carni, ne ab his omnibus purgemus Diabolum, qui complurium est incendiarius; ipse proximorum individuos excitatis irarum stimulis scindit affectus, ipse flammam accendit libidinis, ipse adoler avaritiæ cupiditates, ipse fomenta administrat luxuriæ, ipse odia exasperat, & immodicæ studium ambitionis inflammat: ut jam planissimum sit infundi ab illo toto multarum tentationum venena. Vid. Ambros. in Psal. 118. Serm. 1.

b. Quòd sint quædam cogitationes carnis solius, præter experientiam, conscientia cuiusvis attestatur, in sinu suo quemvis suum circum-

circumferre tentatorem, neque invitum confiteri. Ut D. loquitur August. non omnes cogitationes malas à Diaboli instinctu excitari, sed quasdam, imò multas ex solo arbitrii nostri motu emergere: etiam in occultissimis recessibus occurrit, nobis caro, etsi nemo hominum, nemo dæmonum nobis adfuerit: est enim fornax semper ardens concupiscentiarum flammis, semper fumans tenebrosissimis desideriorum vaporibus, ut rectè Parisiensis de Tent. & Resist.

At inquis, Quomodo possum scire, quænam cogitationes irruentes inter precandum sint à Diabolo, quæ à propria carne seu corruptione natae?

Adhuc semel dico, dijudicatu & captu difficilis est nequitia spirituum improborum, paucisque perspecta.

1. Illæ cogitationes sunt Diabolicæ, quæ repugnant naturali lumini, quæ blasphemæ sunt, horribiles sunt, & contra ipsum Deum ejusque naturam & existentiam insurgunt: si Atheismum redolent tibi que suggerunt, Non opus esse precibus ad Deum, cum nullus sit Deus, te Deo non esse curæ, nec ullo modo ad illum pertinere, & quæ hujusmodi sunt, quæ fidei receptæ impressionibus contradicunt.

2. Illæ cogitationes sunt Diabolicæ, quæ inclinationi naturali adversantur, genioque & temperamento tuo, firmo etiam proposito & instituto. Exempli gratiâ: Si per vitam tuam studuisti sobrietati, castitati, veritati, pietati, &c. & inter orandum advolant cogitationes libidinosa, luxuriosa, gulosa, ad perjurium, desperationem, blasphemiam, injustitiam, ad rapinam & furtum tentantes, &c. Certè hæc immediatè prodeunt ex Diaboli officina: habent characterem Satanicum: tales sanè expertus D. Paulus 2. Cor. 12. vers. 7. cogitationes: ut ibidem prolixè videre est.

3. Illæ cogitationes sunt Diabolicæ, quæ inter orandum in animum injiciuntur cum violentia, vehementia, ad modum fulguris vibrati seu venti instar tempestuosi animum orantem subvertere conantur. Hujusmodi cogitationes non alium nõrunt patrem nisi Diabolum ipsum.

4. Illæ cogitationes sunt Diabolicæ, quæ in animum orantis intruduntur inopinato, subitaneo modo, tali modo, qui præsentibus cogitatis non responder, nec ullatenus cum animi devoti cogitationibus cohæret: si cogitationum harum nullum planè nexum, nec causam olfacere potes, &c. nec tempus habes illas examinandi, & de natura illarum deliberandi: seu te ad resistantiam præparandi.

5. Illæ cogitationes sunt merè Diabolicæ, quæ sunt morosa, & perulantes, & perfrictæ frontis, quæ diucius persistunt, & discedere nolunt, etiam si repellantur, tamen cū novis insultibus redeunt, & Diabolum, ut nõstis, vocatur Beel-

zebub, Matth. 12: 24, 25, 27. Dominus muscarum, ipse etiam instar muscarum, cum suis malis cogitationibus molestiam creat precantibus, etsi abigantur, confestim hæc cogitationes Diabolicæ redeunt, more muscarum in aère volitantium: quæ malitiâ non potest, tædio conatur efficere.

Illæ verò cogitationes, quæ ex propria corruptione naturali nascuntur & precantibus obstaculo sunt, dignoscuntur à prioribus certis signis. 1. Sunt consonæ naturæ corruptæ desiderii: etsi & illæ à Diabolo excitentur, tamen non sunt adeò horrendæ ut illæ: pejor enim Satan naturâ, &c.

2. Sunt congruentes consuetudini vitæ; sæpè excitatæ ab objecto aliquo interveniente, in quo natura corrupta quærit oblectationem, &c.

3. Si resistantiam sentiunt ab orante, tandem ipsum missum faciunt, non adeò sunt pertinaces & morosæ: ac priores, sed supervolatiles.

4. Non sic inopinato & absque consensu irruunt, sed gradatim orantes occupant, & sensim desideria stimulant.

Haberis paucis, unde possumus cognoscere, Diabolicas esse cogitationes, vel ex propria corruptione natas. Nec hæc sine causa urgeamus. Nõstis, quòd communiter omnes malas cogitationes Diabolo adscribamus. Excusatio hæc apud omnes est in promptu, Diabolum hoc fecit, non ego, ut hoc prætextu seipfos purgare queant. Equidem Diabolum in omni peccato interponit partes suas, & sic etiam omnes hæc malæ cogitationes habent ipsum primum motorem. Interim nonnullæ earum immediatè à concupiscentia propria innata surgunt, juxta illud Jac. 1: 14. Ut sic jure dicere possumus, illas venire à Diabolo tanquam patre, & corrupta natura tanquam matre.

IV. Sed præcipuè hic quæritur, an ejusmodi suggestiones Satanæ preces nostras irritas reddere & exauditionem impedire queant? Negatur; Ipse enim tales suggerit etiam tum, cum vel maximè contra nitimur, quis possit præcavere, ne corvus prætervolet supra caput? quis cogitationes volitanres omnes arcebit? Non ergo Deus imputabit, præsertim cū nostræ non sint; modò scilicet

a. Displiceant: quod enim non placet, non nocet, &c.

b. Laboremus contra illas sincero conatu, &c: Nõstis quid contigerit 1. Reg. 3: 18. seqq. Veræ & genuinæ matri dormienti filius mortuus collocatus in ipsius sinu, pro vivo, à muliere nequam: sic Diabolum potest nobis quasi dormientibus cogitationes malas insinuare, quæ revera nostræ non sunt, nec nobis imputabuntur à Deo, modò illas deploremus calidis suspiriis. Culpa est Diaboli, etsi nos sentiamus onus.